

1/2001

IDIBVS IVLIIS

MMI

VARIVS
TOR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
TOR VARIVS
IDIBVS

TOMVS 24

FASC. 137

PRÆFATIO

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann publicity** est, editur:

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr. 27.--
In ceteris Europae terris	sFr. 32.--
In terris trans marisa sitis	US\$ 30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann, lic.phil.I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**,
Rosenweg 7, CH-8353 Elgg
INTERNET: www.aeschlicity.ch/rumor_varius
E-mail: info@aeschlicity.ch

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETATE LATINA TVRICENSI, bei **aeschlimann publicity** herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 300

Abonnementspreise (jährlich):

Schweiz	sFr. 27.--
Europa	sFr. 32.--
Übersee	US\$ 30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann, lic.phil.I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:
Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:


RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**,
Rosenweg 7, CH-8353 Elgg
INTERNET: www.aeschlicity.ch/rumor_varius
E-mail: info@aeschlicity.ch

Bankverbindung:

UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

Amicae et amici nostri!

Iam dimidia fere pars primi anni millenii tertii praeteriit, et post tempus vernale frigidum pluviosumque, quod nemini nisi lumbricis et avibus eos comedentibus placuerit, aestas diu expectata optataque tandem advenisse videtur, et eam permansuram esse valde speramus. Itaque tempus est RUMORIS VARIII libellum 1/2001 edere.



Sine mora occasionem capiamus et argumentum, cui libellus 5+6/ 2001 deditus erit, vobis proponamus. Sed hoc anno – alio modo ac annis praeteritis – occultatum primo argumentum praebemus: In hoc libello aenigma – non difficilius solutu – titulo 'Nil difficile volenti' a Stella Gitta compositum invenietis. Hoc aenigmate recte soluto argumen-

tum nostrum apparebit! Scilicet solutionem divulgabimus, ut vos omnes certissime sciatis, quid sit argumentum et – ut speramus – multa opuscula nobis mittatis. Tum rogamus, si fieri poterit, ut symbolas vestras usque ad Kalendas Decembres nobis mittatis. Maximas gratias iam hodie vobis agimus.

Interea hic helianthus pulcherrimus, quem supra videtis, vos non modo per aestatem, sed etiam per totum annum comitetur, delectet, vobis luceat!

Valete!

Daniel Weissmann

Imagines 'ex votis' vitae rusticae pericula illustrant

Donum appellatum 'ex voto' est parva imago, quae plerumque eventus vitae rusticae ostendit. Per multa saecula imagines 'ex votis' a hominibus praecipue in aedibus sacris suspendebantur, ut Deo Sanctisque meritam debitam gratiam referrent.



Mulier ex imbre lapideo servata

Imagines illae narrant de periculis vitae rusticae, ponunt ante oculos casus fatales deprecatione Dei matris Sanctorumque aversos. Rustici laborandi causa aestate semitas periculosas ingrediebantur. Homines in praeceps deferebantur. Viperae e virgulto exientes messoribus detrimento erant. Et homines et bestiae fulminibus ici poterant. In numero imaginum clarissimarum sunt opera Ioannis Antonii Vanoni (1810-1886), velut imago, quae proponit mulierem quandam viam ad montem pasuum facientem. Ex improvise imbre lapideo capta tamen periculo defungi poterat. In imaginibus illis permultos mulieres, viros puerosque salvos videmus. Certe autem permulti e periculo

eripi non poterant. Quibus non imago 'ex voto', sed vestimentum funebre tribuendum erat.

Barbara Maier

Facete lepideque dicta

"Simulantenne hominem conclavi 134° insidentem obiisse iam audivisti?" altera nosocoma ex altera quaerit. - "Non audivi. Sed ille nunc nimio modo simulat."

Agricola per fruticetum ambulans puerum in ceraso sedentem videt et clamat: "Vae tibi, furcifer! Patri tuo nuntiabo te cerasa mea furatum esse!" Ad quae puer caput sursum vertens: "Heus, pater, aliquis tecum loqui vult!"

Relator diurnarius e poeta clarissimo quaerit: "Qua occasione data tibi, domine, cogitationes optimae in mentem incidunt?" Tunc poeta: "Cogitando."

Amicum quidam interrogat: "Placuitne tibi lectio prima linguae Anglicae?" - "Certe placuit, sed nimia verba ignota mihi occurrerunt."

* * *

Suas naves Abderitae quo modo baptizant? - Decem milia hominum navem tollunt et in fabricam vini spumantis iactant.

Iuliae filiae pater queritur: "Nullum numerum correctum in sortitione chartaria* praedixi." Quem filia consolatur: "Mihi heri in examine mathematico pariter accidit."

* sortitio chartaria, -ionis - ae (f) Lotto, Lotterie

Magister: "Quae avis nidum non aedificat?" - Discipulus: "Cuculus." - "Recte quidem. Sed cur non?" - "Quod in horologio habitat."

"O mi Antoni", avus interrogat, "quo modo vales?" - "Satis bene vale-rem, ave mi, nisi semper aerumnas filii tui causa haberem."

"Num scis", parochus puerum quendam interrogat, "quid accidat, si unoquoque die Dominico sancta missa neglecta pedifolle luseris?" - "Certe scio: In grege nationali ludam!"

Avia a iuvene petit: "Potesne me, amabo, adiuvere in via transgredi-enda?" - "Certe possum. Nonne in altera viae parte habitas?" - "Non ibi habito, sed autobirota* mea ibi stat."

* autobirota, -ae (f) Motorrad

* * *

Australiense per pratum halmaturus* saltat. Cuius e marsupio spheniscus** parvus spectat insultans: "Pereat discipulorum commutatio!"

* halmaturus, -i (m) Känguruh ** spheniscus, -i (m) Pinguin

"Nemo tota in schola me amat", filius lamentatur. "Magistri me non amant, discipuli non, ne custos scholae quidem. Scholam non iam adibo!" - Tunc mater: "Attamen schola tibi adeunda erit, mi fili, nam omnino sanus es, quadraginta quinque annos natus es atque insuper rec-tor scholae es."

Gertrudes magistram aegrotam adit. Ante domum iam omnes discipulae stant cupidae sciendi, quo modo magistra valeat. Gertrudes animo de-misso: "Nulla spes est, amica, cras scholam denuo intrabit."

Ericus: "Heus, Friderice, te diu non vidi. Valde mutatus esse mihi videris." - "Fridericus non nominor." - "Quid ergo? Immo nomen tuum mutavisti!"

Lutetiae Parisiorum episcopus paulum crassus et vestimentis episcopalibus indutus virum quendam in statione ferroviaria videt, qui olim condiscipulus eius fuit et nunc generalis factus esse videtur. Quem iam tunc temporis non multum amabat. Itaque nunc generali appropinquans suavi voce interrogat: "Excusa me, domine baiule, potesne mihi dicere, quando

tramen proximum Bruxellense avehatur?" Generalis autem subridens: "Tramen hora quarta minuta decima tertia avehatur, domina maxime honorabilis, sed equidem in tuo statu iter non facerem."

Anna nuperrime matrimonio iuncta queritur: "Tantummodo per septi-manam matrimonio iuncti sumus, et iam tam sero domum redis." Mari-tus: "Maturius redire non potui, quod in caupona dilucide mihi explican-dum erat, quam felices nos simus."

Martin Meier

ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debit
5+6/2000	100, l. 3	De amicitia	De amicitia
	110, l. 28	auctem	autem
	116, l. 3	Kalendibus	Kalendis
	120, l. 1	deliness	delinees
	135, l. 15	Pertrus	Petrus
	137, l. 1	CANIS	CANUS
	l. 3	SUPERBUS	SUPERBIUS
	l. 17	AMORIS MEI	AMORIS VOBIS MEI
	138, l. 8	AE	AD
	l. 10	PANNIS	PANIS
l. 19	ROGAT CAELITUS	ROGAT QUISQUE C.	
l. 26	ANNU	ANNUM	

NIL DIFFICILE VOLENTI, ludus a Stella GITTA propositus

Nil difficile volenti

ludus a Stella GITTA propositus


Itaque, cari legentes, tertio millenario ineunte Latine ludendo de novo argumento nostro certiores fietis. Quod facile invenietis, si ordine mutato litteris datis tabulam restitueritis. Litterae tamen in () inutiles sunt. Areis numero instructis ostenduntur litterae, quibus argumentum componitur.

Ecce indicium: genus fabricationis

13	14	12	15

Argumentum:

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11



SOLUTIONES Reguli amici

F
R B A R C I N O N E M
I O
B O N A R U M A R T I U M
V I C
R S V O L A T O R V M A
G A X F
O E R X R
F R A N C I S C V S X I
I D V C
B V I O L I N A
L V G D V N I G I G
S A V I A T O R E L I B I C I S
V
C O N S V E L O D E

Solutiones: amica: rosa
amicus: vulpes

Stella GITTA

De rosa florum regina

Antiquis temporibus homines rosarum floribus praecipue ad morbos sanandos utebantur. Rosa non modo in medicina, sed etiam in arte corporum pulchritudinis colendae in altissimo gradu posita erat. Et Graeci et Romani rosarum folia multum saepeque ad cenas parandas adhibebant. Nusquam autem rosa pluri aestimabatur quam apud coquos orientales. Vinum crustulaeque e rosae floribus facta, caro rosarum foliis involuta multum valebant. Veteres Romani et in mensa et in lecto rosarum delectatione ducebantur. Haud raro mulieres nobili loco natae et meretrices in amoribus consciae amatoribus in rosis iacentibus voluptati erant. Itaque primi Christiani rosam velut florem impium recusabant.



Cibum e farina factum iure rosario perfundere potes

Sed iam prima parte aetatis mediae flos ille denuo remedium habebatur. Legimus in libro 'Herbolarium vulgare' appellato, sexto decimo p.Chr.n. saeculo edito rosae sucum remedium vomendi esse.

Veneratio Mariae virginis rosae plurimum tribuit. Rosa alba sine spinis innocentiae symbolum ducebatur. Flores rubrae Christi sanguinem rosaeque spinosae malum significabant. Tum rosa magis magisque flos amoris putabatur. Nuntia voluptatum periculorumque amoris erat.

Aetate Victoriae reginae, moribus severis eminente, permultae res cottidianae ornamentis rosarum decorabantur. Rosarum species semper numero crescebant.

Aetate media fere quattuor vigintae species cognoscuntur, aetate nostra vero sescentae.


Rosae cultae aetatis nostrae rosis incultis antiquissimi temporis vixdum similes sunt. Sed res culinaria hodie semper e rosis fructum capit.

Marcus Gavius Apicius de vino roseto faciundo praeeptum hoc dedit: "Folias rosarum albo sublato lino inseris et sucillis facias, et vino quam plurimas infundes, ut septem diebus in vino sint. Post septem dies rosam

de vino tollis et alias sutiles recentes similiter mittis, ut per dies septem in vino requiescant, et rosam eximis. Similiter et tertio facies, et rosam eximis, et vinum colas, et, cum ad bibendum voles uti, addito melle rosatum conficies." (Apicii liber primus, capitulum quattuor).

Hodie autem oportet rosas odoratas ex horto tuo sumi. Noli uti rosis in tabernis emptis! Mane, caelo sereno, rosam carpes, florum folia de cauli tolles. Albo sublato, nam cibus amaritudinem non exigit, folia florum compones et penicillo purgabis. Tum multas delicias parare poteris.

Barbara Maier



Rosis mensam vasaque ornare potes

EPIGRAMMATA IN NATURAM VITUPERATIVA

Saeva naturae discrimina

Filiolis, natura, tuis cur corpora foeda,
quorum ipsos pudeat, saepius, heu, tribuis?
Cur facies pulchras aliis donare videris,
tam male corporibus cum crucies alios?

Nulla sine tenebris lux

Sublatis foedis, quis corpora pulchra videret?
 Nocte opus est taetra ut splendeat alma dies.
 Sic non gauderet dives, ni pauper amaris
 oraret divos supplicibus precibus.

Expertus loquor

Interdum natura solet mera gignere monstra,
 hac illac temere nil valitura creans.
 Hoc verum esse negas, incredule lector? In unam
 mi credes subito si ingrediere scholam¹.

- 1) Ut par est, de scholae illius gradibus, quam necessario frequentandam esse septem fere abhinc lustra Italici legibus ferendis legati decreverunt, praecipua hic reprehensione vituperationeque loquimur.

Immisericors naturae cribellum

Lactantes olim moriebantur numerosi;
 quod fieri potior nunc medicina vetat.
 Naturae cribro sublato, debiliores
 invenias factos hos fragiles iuvenes².

- 2) Nos omnes, qui professorio in scholis munere fungimur, quanto crebrius ac facilius hodierni discipuli in morbos incidant cotidie fere animadvertimus. Nolim autem hisce versibus videar insano praeteritorum desiderio temporum teneri: hoc tantum ostendere placuit, de medicorum inventis quasdam suoapte tenore ultiones rerum naturam sumere.

Orestes Carbonero

SOLUTIO LUDI

„QUOMODO OVEM DELINEES“ a Stella GITTA propositi

Nil melius sano monitu, nil peius iniquo;
 Consilium sequitur certa ruina malum.

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino XI fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

<u>primum praemium:</u>	<u>secundum praemium:</u>	<u>tertium praemium:</u>
Max. S. Müller-de Vries Chapfstr. 394 8214 Gächlingen	P. Maximilian Sauge CP 16 1702 Fribourg	Anna Jäger-Fischer Wesemlin-Terrasse 29 6006 Luzern

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

1	2	3	4	5	6
C	E	N	A	T	A
2					
E	X	A	M	E	N
3					
N	A	S	O	N	I
4					
A	M	O	R	E	M
5					
T	E	N	E	R	A
6					
A	N	I	M	A	E

Carmen Latine discentium

Hoc carmen, quod secundum melodiam cantus popularis Ticinensis nomine "L' inverno l' è passato" cantatur, imprimis aptum est ad discipulos novos prima verba Latina primasque formas grammaticas docenda(s).

1. Salvete, o amici, salvete omnes vos!
 Nunc discimus Latine et hoc gaudemus nos.

Verba repetenda:

Salve, salve, nobiscum cantita!

Nunc discimus Latine Latina carmina.

2. Est lingua Latina linguarum optima.
Sic cantita nobiscum Latina carmina.
3. O pater salve, salve et tu matercula
et mecum cantitate Latina carmina.
4. Latine discit puer nec non puellula
et cantitant nobiscum Latina carmina.
5. Romani loquebantur Latina lingua
et certe cantitabant Latina carmina.
6. Morosi dicunt nobis: "Cur inutilia
tractatis?" Respondemus Latina lingua!

Martin Meier

DE THILO CUSTODE FERRIVIAE

Studiolum novellisticum anno 1887 a Gerhart HAUPTMANN

Theodisce scriptum ("Bahnwärter Thiel") et anno 1997 a

Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversum

Narrationis pars sexta

Custos cursat cum nuntio, non videt itinerantium facies pallidas, territas in traminis fenestris apparentes. Mulier iuvenis e fenestra prospicit, mercator itinerarius cappa Fessana indutus, par iuvenum, qui facere videntur iter nuptiale. Quid hoc ad se? Se numquam curasse res istis cistis crepitantibus inditas; - eius aures complentur ululatu Lenae. Ante eius oculos hic illic sursum deorsum volitant flavae nubeculae, lampyridibus similes, innumerabiles. Custos territus repellitur - in loco consistit. Egreditur e lampyridibus saltantibus aliquid pallidum, flaccum, sanguinolentum. Frons suggillata, labra livida, super quae stillant guttulae sanguinis nigri. Ille est.

Thilus non loquitur. Eius facies suffunditur sordido lurore. Subridet quasi mente absens; tamen dorsum flectit; sentit brachia gravari membris laxis, mortuis; quibus circumvolvitur vexillum rubrum.

Abit.

Quo?

"Ad medicum ferriviarium, ad medicum ferriviarium" hic illic clamatur.

"Eum statim nobiscum feremus" magister sarcinarius vocat et in curru suo cubile comparat libris vestibisque officialibus compositum. "Quid nunc?" Thilus nullo modo e manibus remittit violatum. Urgetur. Frustra. Magister sarcinarius feretrum curat e curru sarcinario gerendum et virum aliquem iussit patrem adiuvare.

Periculum in mora. Fistula ducis traminis stridule sibilat. E fenestris imber cadit nummorum.

Lena se gerit tamquam mente capta. "En miseram, miseram mulierem" dicitur in diaetis, "en miseram, miseram matrem."

Dux traminis iterum utitur fistula - semel sibilatur - machina edit vapores albos, stridentes e cylindris, tendines erigit ferreas; nonnullis horae secundis post tramen rapidum fumo vibrante per silvam proicitur velocitate duplicata.

Custos voluntate mutata puerum semivivum in feretro deposuit. Ibi stratum est corpus eius deformatum, interdum longo spiritu stridente tollitur anhelum pectus osseum, quod patefit sub camisia discissa. Bracchiola et cruscula non solum in articulationibus fracta posita sunt situ perquam innaturali. Parvi pedis calx proversa est. Brachia de margine feretri pendencia vacillant.

Lena non desinit vagire; ex ea evanuit omne vestigium contumaciae prioris. Iterum iterumque narrat historiam, qua purgetur ab omni culpa incommodi contracti.

Thilus videtur eam non respicere; cuius vultus est atrociter anxius, oculi pendent e filiolo.

Circa factum est vastum silentium funebre. Orbitae nigrae et calidae impositae sunt silicibus coruscantibus. Meridie ventis restinctis forestis stat immota, tamquam lapidea.

Viri submisce consiliantur. Ut quam celerrime veniant ad *Friedrichshagen*, revertendum esse ad stationem illam, quae sita sit versus Bratislavam, quia proximum tramen rapidum non sistatur in statione ad *Friedrichshagen* propiore.

Thilus videtur deliberare, num eat cum iis. In praesenti nemo adest, qui sciat officio fungi. Sola motione manus uxori dicit, ut allevet feretrum; quae non audet refragari, quamvis sollicitetur de puero lactante relicto. Ea et vir alienus gestant feretrum. Thilus tramen comitatur usque ad litem regionis suae officialis, tum consistit in loco diuque tramen oculis sequitur. Subito frontem pulsat palma plana, ut edatur sonus magnus.

Itaque videtur expergiscere. Nam se somnare, ut heri, sibi ipse dicit. - Frustra. -Magis titubans quam currens casulam assequitur. Intra eam facie proversa humum decidit. Eius pileus in angulum devolutus est, horologium diligentissime cultum excidit e sacco bracciarum, capsula est displosa, vitrum diffractum. Thilo cervix videbatur pugno ferreo tam firme correpta esse, ut moveri non posset, quantopere anhelans et gemens conaretur se liberare.

Friget frons, arent oculi, ardent guttura.

Campana signali Thilus excitatus est. Illis tribus sonis campanae iteratis idem respuit. Qui potuit surgere officioque fungi. Pedes ei videbantur plumbo graviores, ferrivia videbatur circumrotari tamquam radius rotae ingentis, cuius axis fuit caput eius; tamen tantum corroboratus est, ut aliquamdiu staret rectus.

Tramen personale appropinquavit. Certe ei inesse Tobiam. Quo propius tramen veniebat, eo magis diffiuebant imagines oculis Thili obversae. Denique nihil vidit nisi puerum contusum, cuius os erat sanguine oblitum. Tum facta est nox.

Aliquanto post animus Thilo redditus est. Experrectus est prope cancellos in arena calida cubans. Surrexit, grana harenae e vestimentis excussit, sputum ex ore. Capite paululum levato tranquillius cogitavit.

In capanna statim horologium e pavimento sublatum in mensa deposuit. Quamvis idem cecidisset, eius index non constiterat. Intra duas horas numeravit secundas et minutas animo fingens, quid interim fieret de Tobia. Nunc Lenam cum illo advenisse; nunc stare ante medicum. Quem puero aspectato et attacto caput concutere: "*malum, valde malum - sed fortasse ... quis scit?*" et accuratius conspiciat: "*non*" dicere "*non. Actumst.*"

"*Actumst, actumst*" custos surgens gemuit, sed surrexit, clamavit, oculis agilibus huc illic versis ad laquear fixis manibus sublatis atque mente alienata in pugnos complicatis voce, qua crederes cellam angustam diffringi, clamavit: "*Illum vivere necesse est, dico tibi, necesse est.*"

lam casulae ianuam denuo pulsando aperuit, per quam venit flammeus rubor vesperi, et magis recursavit quam rediit ad cancellos. Ibi paulisper constitit tamquam consternatus, tum subito ambo braccia pandens usque ad aggerem medium progressus est, quasi aliquid vellet remorari, quod venit e directione traminis personalis. Eius oculi late aperti visi sunt caeci.

Dum regrediens alicui cedere videbatur, iterum iterumque edebat inter dentes sonos dimidiam tantum partem intellegibiles: "*Tu - audi - heus mane tu - audi - mane - redde eum - suggillatust - ita, ita, - bene - illam suggillabo - ita, ita - bene - illam suggillabo - audin'? - heus mane - redde eum mihi.*"

Aliquid eum videbatur praetergredi. Nam custos se vertit et se movit, quasi id persequeretur, in alteram directionem.

"*Tu, Minna*" - vox eius reddita est flebilis, infantilis - "*Tu, Minna, audin'? - Redde eum. Volo ...*" Manibus aera explorabat, quasi quem detineret. "*Heus uxorcula - ita - illam mulcabo - suggillabo - etiam mulcabo - istam dolabra - viden'?*" - *dolabra culinari - dolabra culinari istam mulcabo, et ista crepabit.*

Et tum ... ita, dolabra - dolabra culinari, ita - en sanguinem nigrum!" Os custodis spumabat, pupillae vitreae continuo movebantur.

Lenis aura vespertina submisce et continuo flabat super silvam, et e caelo occidentali pendebant flammeae nubes roseae cinnabatae. Per centum fere gradus illud invisibile secutus Thilus evidenter animi expers constitit in loco, vultu metum horribilem indicante vir extendit braccia sua, more precantis, incantantis. Aciem oculorum intendit eosque manu obumbravit, ut quodammodo e longinquo reperiret phantasma illud vanum et inane. Denique manu delapsa vultus adductus conversus est in languorem hebetem. Se vertit - et retro se traxit, eadem via, qua venerat.

Ultimo ardore silvae superfuso sol restinctus est. Trunci pinuum ut greges ossium luridi atque putredine exesi rigeabant in cacumina sua porrecti, quibus deprimi videbantur velut tabulatis mucidis. Silentium pervasum est pico corticem percutiente. Frigidum caelum chalybeium pervolatum est sola nube rosacea retardata. Aura facta est praegelida, qua custos frigeret. Omnia ei visa sunt nova, omnia aliquatenus aliena. Nescivit, quid esset, quod transiret, neque scivit, quae res sibi circumiectae essent. Tum sciurus ferriviam transiluit, ut Thilus respisceret. Cogitavit de Deo carissimo nescius, quare. "*Deus carissimus viam transiluit, Deus carissimus*

viam transilit." Quam sententiam compluries iterabat, quasi ut inveniret aliquid, quod spectavit ad hanc rem. Interrupit sermonem suum, lux incidit cerebro: "*At mi Deus, istud quidem insanum est.*" Omnia oblitus in hunc hostem novum se vertit. Studuit cogitationes suas ordinare. Frustra! Inops pervagabatur. Ipse se deprehendit mente fingentem res ineptissimas. Cohorruit inopiae suae conscius.

E silvula betullarum propinqua venit clamor infantis. Tum coepit furere. Thilus fere invitus in hunc locum properavit, ubi parvulum invenit, qui a nemine curatus erat, flentem pedesque circumagitantem, sine lectulo in curru cubantem. Quid faceret? Cur illuc agitatus esset? Quae quaestiones rapidissimo flumine commotionum cogitationumque absumptae sunt.

"*Deus carissimus viam transilit.*" Nunc scivit, quid hoc valeret. "*Tobias*" - eum ab illa occisum esse - a Lena - cui mandatus esset - "*En novercam, matrem impiam*" dixit dentes frendens - "*et istius subolem superstitem.*" Sensus eius obnubilati sunt nebula rubra duobus oculis puerilibus pervasa; Thilus sensit aliquid molle, carnosum digitis suis interpositum. Gargarismatis et sibilationibus, raucis clamoribus intermixtis, quos quis edidisset, nescientis aures perstrictae sunt.

Nicolaus Gross
Germanus Coreanensis

(Narrationis pars septima in proximo libello sequetur!)

Vocabularium breve verborum rariorum recentiorumve
in libello 1/2000 RUMORIS VARII publicatum est!

De coci petitione

Culinas si intrabis, ubi per artem et rationem quaeritur quemadmodum palato tuo tanta voluptas afferri possit, ut plus quam satis est edas; alimenta si accurate inspicias quomodo condiantur ad convivium illud instruendum, quod tibi apparatus; si animadvertes quibus manibus tractentur et quot in varias formas mutantur priusquam epulae fiant conquisitissimae ac tantae munditiae et elegantiae ut, delectatis oculis, nescias primum quid deligas, deinde consilium capias singula attingere; cenam


denique cunctam si aspicias alio in loco atque in extracta mensa, quam foeda videbitur, quantum fastidium movebit! Tum cocus ipse cum multi peterent varia beneficii loco, summopere in cena duces rogavit, ut se asinum faceret. Miratus dux quid sibi ea postulatio vellet, cur se asinum quam hominem mallet: "Atqui omnes video", inquit ille, "quos in sublime extulisti, quibus honores et magistratus dedisti, superbia et fastu elatos atque insolentes evasisse asinos. Itaque ego quoque asinus a te fieri cupio."

rettulit Stella GITTA

Facete lepideque dicta

Megaeram in matrimonium duxisti !

D—dies



— Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere, Seneca ait.

Postmodum



— Alteri bibas oportet, si bis tibi bibere, Senex ait.

☆ Stella

Quam magnus es!

Si, deus, mundum sum contemplaturus,
quem verbo creavisti unico,
si animalia sum miraturus,
tutaris alens quae perpetuo,
tunc mei cordis cantat bona spes:
"Quam magnus es, quam magnus es!"

Si Iesum apud homines versantem
servilem servatorem video,
affixum cruci summo suam dantem
peccatis vitam nostris pretio,
tunc mei cordis cantat bona spes:
"Quam magnus es, quam magnus es!"

Si tandem me, O Deus, vocavisti,
ut regna peterem caelestia,
splendorem tuum si revelavisti,
exultat tota mea anima.
Tunc mei cordis cantat bona spes:
"Quam magnus es, quam magnus es!"

Hoc carmen originaliter Theodiscum (nomine: *Wie gross bist du*) celeberrimum est atque saepe a choris virilibus vel mixtis cantatur. Compositum est a Jost Marty Einsidlensi, fratre aviae uxoris meae.

Martinus Meier

Quomodo memoria labens Fausti famuli sanata sit

Marcus Aventicensis, vir doctus perhumanusque, habebat famulum Faustum quendam insulsum, obliviosum et ingenio tardo, quem ille magis humanitatis quam utilitatis causa domi nutriebat. Hunc aliquando cum certis mandatis misit ad amicum suum, Petrum nomine, qui villam habita-

bat prope turrim; ad quem cum accessisset, rogatus, quidnam a patrono afferret novi, ille oblitus patroni verborum, veluti stupidus ac cogitabundus, quid diceret, haesitabat. Conspecta hominis, quem probe noverat, taciturnitate statim: "Scio", inquit, "quid velis", et ostenso pergrandi lapideo mortario: "Cape hoc", ait, "et ad patronum tuum, nam id postulat, quam primum feras." Faustum Marcus mortarium humeris ferentem a longe cum aspexisset, cogitans, quod erat id ad puniendam famuli oblivionem factum, cum appropinquasset: "Malum tibi, insulse," ait, "qui non recte verba mea percepisti. Redi e vestigio, nam tam grande nolo, et minusculum porta!" Ille sudans ac pondere fessus, cum se errasse fatetur, ad amicum reversus aliud quoddam tertio reportavit. Hoc pacto insulitas hominis est multata.

Qui tamen equum venditurus erat et ad mercatum paulo post profectus est. Narravit mercator, Iacobus nomine, cum Aventico Genavam proficisceretur, addidisse se in suam societatem Faustum quendam, qui perraro, ut videbatur, equitasset. Qui cum a via divertisset ad hospitium, in quo et alii permulti cum equis erant, maneque ad iter se quisque pararet, solus Faustus sedebat ad fores otiosus atque ocreatus. Admiratus Iacobus hominis neglegentiam ac tarditatem, qui, cum ceteri ferme in equis essent, ipse solus quiesceret, admonuit, si secum proficisci vellet, equum ascenderet, causamque morae percontabatur. Tum ille: "Atqui", inquit, "tecum ire cupio; sed equum meum minime inter alios recognosco. Igitur exspecto quoad reliqui equitarint, ut qui equus solus in stabulo remanserit, sciam esse meum." Cognito hominis stupore, mercator paulum commoratus est, quoad stultus ac stipes ille unicum relictum equum caperet pro suo.


Iter faciens aquam frigidam bibere voluit Faustus. Dum ad fontem pedibus appropinquabat, equus suus pabulatum profectus est. Fuit eodem tempore homo confidens ac temerarius, nulli arti deditus. Is cum legisset apud medicum quendam nomen et virtutem certarum pillularum, quae ad varios morbos conferre dicebantur, existimavit homo ridiculus se iis solis pillulis de facili medicum evasurum. Confecto earum magno numero, urbem egressus coepit vagari per oppida et villas, medicinae artem professus. Ad omnem autem aegritudinem has pillulas accommodabat, earumque cura aliqui casu valetudinem recuperarunt. Cum huius fama percrevisset stulti apud stultos, Faustus, qui equum suum amiserat, roga-

vit hominem, numquid remedium ad recipiendum equum haberet. As-
sensit ille, et ei quinque pillulas deglutiendas dedit. Quibus sumptis abiens
postero die, cum equum quaereret ac cogentibus pillulis de via discessis-
set laxandi ventris gratia, in arundinetum forte divertit; ibi reperto equo
pascente medici scientiam et pillulas ad caelum laudibus extulit. Ad hunc
postmodum, veluti alterum Aesculapium, magnus fiebat rusticorum concursus,
qui audierant medici medelas etiam ad recipiendos equos accom-
modatas.

rettulit Stella Gitta

De argumento nostro

Solutio ludi „Nil difficile volenti“ a Stella GITTA propositi



Indicium: Fiat

Argumentum: **autocinetum**

Nunc symbolas vestras expectamus innumerabiles. Macte animo!

- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS VARIVS für mich selber)

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Rosenweg 7
CH - 8353 Elgg


PP/Journal

4702 Oensingen

1/2001

IDIBVS IVLIIS

MMI



RVMOR VARIVS



TOMVS 24

FASC. 137